vationibus, verùmetiam ab eo, quòd præceptorum obſervationem non tribuunt ſuis viribus; ut ſolent Judæi.

Domino beatiſsimo fratri & coëpiſcopo, Aſellico, Auguſtinus in Domino ſalutem.

Meminit Poſsid. in Ind.

Literas Sanctitatis tuæ, quas ad venerabilem ſenem Donatianum de cavendi Judaiſmi diſceptatione miſiſti, ad me ipſe dignatus eſt mittere, atq; ut eis reſponderem, petendo vehementiùs* impetravit; quem veritus contemnere, ut poſſum, Domino adjuvante, reſpondeo, gratum exiſtimans etiam Charitati tuæ, quòd ad te ſcribendo illi jubenti, quem pro ſuis meritis ambo veneramur, obtemperare non renui.

* *Al.* imperavit.

Chriſtianos, maximè ex gentibus venientes, judaizare non oportere, Paulus Apoſtolus docet, ubi ait: *Dixi Petro coram omnibus: Si tu, cùm ſis Judæus, gentiliter & non Judaicè vivis; quemadmodum gentes cogis judaizare?* Et ſecutus adjunxit: *Nos, naturâ Judæi, & non ex gentibus peccatores; ſcientes autem, quoniam non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti, & nos in Jeſu Chriſto credimus, ut juſtificemur per fidem Chriſti, & non ex operibus legis: quoniam ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro.* Non ſolùm autem illa opera legis, quæ ſunt in veteribus ſacramentis, & nunc revelato teſtamento novo non obſervantur à Chriſtianis; [ſicuti eſt circumciſio præputii, & ſabbati carnalis vacatio, & à quibusdam eſcis abſtinentia, & pecorum in ſacrificiis imolatio, & neomenia & azymum, & cætera hujusmodi;] verùm etiam illud, quod in lege dictum eſt: *Non concupiſces*; quod utique & Chriſtianis nullus ambigit eſſe dicendum; non juſtificat hominem; niſi per fidem Jeſu Chriſti, & gratiam Dei, per Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum. 816.
Idem ipſe quippe dicit Apoſtolus: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit! Sed peccatum non cognovi; niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam; niſi lex diceret: Non concupiſces. Occaſione autem acceptâ, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum eſt. Ego autem vivebam aliquando ſine lege. Adveniente autem mandato peccatum revixit. Ego autem mortuus ſum, & inventum eſt mihi mandatum, quod erat in vitam, hoc eſſe in mortem. Peccatum enim occaſione acceptâ per mandatum fefellit me, & per illud occidit. Itaq; lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum & bonum. Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit! Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum eſt mortem, ut fiat ſupra modum peccatum peccans per mandatum Scimus enim, quia lex ſpiritalis eſt: ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato. Quod enim operor, ignoro; non enim,*

Ad Gal. 2, 14. & ſeqq. — *Ex. 20, 17.* — *Ad Rom. 7, 7. & ſeq.*

quod